

*Qui derelinquent Dominum incident in illum, et exar-
descet in iliis, et non extinguetur; et immittetur in
illos quasi leo, et quasi pardus lædet eos. Sepi aures
tuas spinis, et noli audire linguari nequam; et ori
tuo facito ostia, et seras auribus tuis. Aurum tuum
et argentum tuum confla, et verbis tuis facito state-
ram, et frenos ori tuo rectos. Et attende, ne forte la-
baris in lingua tua, et cadas in conspectu inimicorum
insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis ad
mortem²⁸. Ne tardes converti ad Dominum, et ne
differas de die in diem. Subito enim veniet ira il-
lius, et in tempore vindictæ disperdet te. Noli anxius
esse in dibilitis injustis, nihil enim proderunt tibi
in die obductionis et vindictæ. Non ventiles te in
omnem ventum, et non eas in omni via; sic enim
peccator probatur in duplice lingua. Esto firmus in
via Domini, et in veritate sensus tui, et scientia; et
prosequatur te verbum pacis et justitiae. Esto man-
suetus ad audiendum verbum, ut intelligas; et cum
sapientia fer responsum verum. Si est tibi intelle-
ctus, responde proximo; sin autem, sit manus tua
super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, et
confundaris. Honor et gloria in sermone sensati;
lingua imprudentis, subversio ipsius. Non appelleris*

A susurro; et in lingua tua ne capiaris, et confundaris.
Super surem enim est confusio et pœnitentia, et de-
notatio pessima super bilinguem. Susurratori autem
odium, et inimicitia, et contumelia. Justifica pusil-
lum et magnum similiter²⁹. Noli fieri pro amico
inimicus proximo. Improperium enim et contumeliam
malus hæreditabit, et omnis peccator invidus et bilin-
gvis. Non te extollas in cogitatione animæ tuae velut
tourus, ne forte elidatur virtus tua super stultitiam,
et foia tua comedat, et fructus tuos perdat, et re-
linquaris velut lignum aridum in eremo. Anima enim
nequam disperdet, qui se habet, et in gaudium inimi-
cis dat illum, et deducet in sortem impiorum³⁰. Cha-
rissimi, oppressos erigere studete, et necesse ha-
bentes semper adjuvate; quoniam qui fratrem af-
flictem relevat, apprehensum eripit³¹, mœrentem
consolatur, ab illo sibi retribui, cui totum impedit,
non dubitet, qui ait: *Quod uni ex minimis meis fe-
cistis, mihi fecistis*³². Taliter enim bona indesinen-
ter agere studete, ut fructum boni operis et hic
consequamini, et in futuro gratia Dei persuamini,
quatenus cœlestis regni aulam introire postea me-
reamini. Data iv³³ Kal. Maii, Severo et Quintiano
viris clarissimis consulibus³⁴.

²⁸ Eccl. xxviii. ²⁹ Eccl. v, 8-18. ³⁰ Eccl. vi, 4-4. ³¹ S. Greg. ep. 125 lib. vii. ³² Matth. xxv, 40.
³³ iii, ut etiam ms. ³⁴ anno 235.

ANNO DOMINI CCXXXV

ANTERUS PAPA

NOTITIA

(MANSI, Concil., I, 761 ex Libro pontificali Domasi papæ. — Vide tomum Panologiae Latine supra citatum,
col. 1331.)

Anterus (1) natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annos 12, mensem unum (2), dies 12. Martyrio coronatur temporibus Maximini et Africani consulatum. Hic gesta martyrum (3) diligenter a notariis exquisivit, et in ecclesia recondidit. Propter quod a quadam Maximo prefecto martyr effectus est. Ille fecit ordinationem unam per mensem Decembrem, et unum episcopum ordinavit in civitate Fundis Campaniae. Qui sepultus est in coemeterio Callisti via Appia, iii Nonas Januarii. Et cessavit episcopatus dies 15.

(1) *Anterus. Postquam sedes 45 diebus vacasset, tertio Decemb. an. Christi 257, qui est primus Iuli Maximini imperatoris; Anterus Urbano subrogatur. Errant igitur recentiores chronologi, qui post Pontianum, Cyriacum quemdam, cuius neque apud Latinos, neque apud Græcos historicos pontificum seriem contexentes, ulla mentio invenitur, Urbano successisse, male asserunt. Baron. anno prædicto n. 41. SEV. BIN.*

(2) *Sedit annos 12, mensem unum, etc. Vix mensem unum in pontificatu sedisse, præter auctoritatem Eusebii, consulatus eorum sub quibus martyrio affectus esse scribitur, hic indicat. Qui enim tertio Decembris in sedem pontificiam elevatus, ab ea per violentum persecutoris gladium, tertia die Januarii, ut ex tabulis ecclesiasticis constat, dejicitur, ultra unum mensem pontificiam sedem tenuisse*

C non potest. Id.

(3) *Hic gesta martyrum. Clemens Romanus pon-
tifex certos constituit notarios, qui res a martyribus
privatum aut publice gestas describerent, con-
rumve publice dicta aut facta notis quibusdam con-
suetis celerrime in tabulis adnotarent; quæ vero
privatum intra cancellos coram solis judicibus in
proconsularia acta relata erant, ab iisdem data
pecunia redimerent, et inter Acta martyrum sedulo
asservarent. Tanta eorum in excipiendis dictis,
etiam prolixis orationibus velocitas erat, ut prius
illi sententiam dicendam notassent, quam a di-
cente et loquente pronuntiata esset. De qua scri-
bendi celerritate Martialis Eb. xiv hoc distichon:*

*Current verba licet, manus est veletior illis:
Non dum lingua suum, dextra veregit opus.*

NOTITIA ALTERA

(D. COUSTANT, *Epistola Rom. pont.*, I, 118.)

Anterus, uti jam e catalogis Fossatensi, Bucheriano (in quo *Anteros* appellatur), et reginæ Suecorum audivimus, xi *Kalendas Decembris*, *Severo* et *Quintiniano consulibus*, hoc est anno 235, mensis Novembris 21 die, *ordinatus est*, atque ut in iisdem catalogis legitur, *mense uno ac diebus decem* in pontificatu exactis, *dormiit III Nonas Januarii Maximo* (leg. *Maximino*) et *Africano consulibus*, hoc est anno 236, Januarii tertio die, quo etiam memoria illius in *Martyrologiis* recolitur. Ut autem iste unius mensis ac decem dierum, qui Antero tribuuntur, calculus plane quadret, ix *Kalendas Dec.* pro xi *Kalendas Dec.* legendum, et ordinationis

A sicut et mortis Anteri dies numerandos non esse Tillemontius observat. In vetusto Corbeiensi codice meosis unus ac dies undecim Antero ascribuntur. Eusebius quidem unum duntaxat mensem memorat: sed nihil inde adversus illos dies consicitur. Quemadmodum enim historicus ille in aliis pontificibus quot quisque annos apostolicam sedem tenuerit, nos adjunctis mensibus aut diebus, indicare satis habet, ita et hic ubi dies omittit, nihil ab hoc more suo alienum facit.

Anteri circumfertur unica epistola, quæ Isidorum parentem habuit.

ANTERI PAPÆ
EPISTOLA⁽⁴⁾*De mutatione episcoporum [sedium episcopalium].*

Charissimis fratribus per Boeticam atque¹ Tolestanam provincias episcopis constitutis, ANTERUS episcopus in Domino salutem.

Optarem, fratres charissimi, semper dilectionis et pacis vestræ sinceritatis gaudia audire², ita ut vicissim discurrentibus litteris sospitatis indicia juvarentur, si quietos nos ab incursione sua vacare hostis antiquus sineret: qui ab initio mendax³, inimicus veritatis, æmulus hominis, quem ut deciperet, se ante decepit, pudicitiae adversarius, luxuriæ magister; crudelitatibus pascitur, abstinentia punitur; odit jejunia, ministris suis prædicantibus, dum

B dicit esse superflua, spem non habens de futuris, et Apostoli sententia repercussus, dicentis: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur*⁴. O infelix audacia, o desperatæ mentis astutia! Ipse enim horatur odia, et fugat concordiam. Et quia facile ad deteriorem partem mens humana transducitur⁵, volens magis per spatiōsam viam ambulare, quam arctæ viæ iter cum labore transire. Qua de re, fratres dilectissimi, sectamini meliora, et semper relinquite deteriora. Bona agite, mala vitate, ut vero discipuli Domini esse inveniamini.

De mutatione ergo episcoporum⁽⁵⁾, unde^b san-

¹ non probat. Ant. Aug. in cap. 62 coll. Adriani papæ. ² Siricius ep. 2. ³ Joan. viii, 44. ⁴ I Cor.

xv, 32. ⁵ idem Siricius.

Exstat etiam elegans epigramma Ausonii ad notarium suum velociter excipientem, his versibus contentum:

Quam præpetis dextræ fuga
Tu me loquentem prævenis!
Quis, quæso, quis me prodidit?
Quis ista jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?
Quæ surta corde in intimo
Exercet ales dextera?
Quis ordo rerum tam novus,
Veniat in aures ut tuas
Quod lingua nondum absolverit?

Quæ igitur Acta martyrum, jussu Clementis, per notarios fideliter conscripta fuerant, ea Anterus pontifex diligenter conquisivit, et ne vel interirent, vel ab ethniciis corrumperentur, in ecclesia recon-didit. Quamobrem ad Julium Maximinum imperato-rem, qui sacerdotibus cruentum bellum indixerat, delatus, per Vitalianum aut Sabinum Maximini præ-

C sectos martyrio afficitur die 3 Januarii, coss. Maximino et Africano, quorum consulatus cum anno Christi 238 et anno 2 imperii Maximini coincidit. SEV. BIN.

(4) Suspecta pariter viris doctis vel ex unius Hieronymi segmentis.

(5) *De mutatione episcoporum.* Pontifex de sedibus episcopalibus transferendis et transmutandis consultus, hac epistola docet, et exemplo Petri apostoli aliorumque plurium probat translationem sedis episcopalibus licitam esse, si utilitate et necessitate alterius Ecclesiæ exigente fiat cum superiorum episcoporum cognitione et consensu; si vero vel ex avaritia, vel ambitione aut præsumptione, ac sola propria voluntate episcopus sedem mutet, illicitum est, et apostolica lege, quæ exstat canon. apostol. 14, interdictum. Unde cum tempore Nicæni concilii ex Antiochenis, alii Eusebium Cæsareensem, alii Eustachium Beroensem antistitem non sine turba totius populi expeterent, sacrosancta synodus sanctissime id, quod ab apostolis constitutum jam ante fuerat, confirmavit, ne episcopi, presbyteri atque

clam sedem apostolicam consulere voluistis, scitote eam communī utilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cuiusquam aut dominatione. Petrus, sanctus magister noster et princeps apostolorum, de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius prouicere posset. Eusebius⁷ quoque (6) de quadam parva civitate, apostolica auctoritate, mutatus est⁸ Alexandriam. Similiter Felix⁹ de civitate, qua ordinatus erat electione ci-vium, propter doctrinam et bonam vitam quam habebat, communi episcoporum et reliquorum sacerdotum ac populorum consilio, translatus est Ephesum. Non enim transit de civitate ad civitatem, qui non suo libitu aut ambitu hoc facit, sed utilitate quadam aut necessitate aliorum¹⁰, hortatu et consilio potiorum transfertur. Nec transfertur de minori ci-vitate ad majorem qui hoc non ambitu nec propria voluntate facit, sed aut vi a propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci aut populi, non superbe, sed cum humilitate, ab aliis translatus et inthronizatus est; quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Et Dominus per Prophetam loquitur dicens: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*¹¹. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem. Nec mutat civitatem, qui non sua sponte, sed consilio et electione aliorum mutatur¹². Non ergo migrat de civitate ad civitatem, qui non avaritiæ causa, nec sponte dimittit suam; sed (ut jam dictum est) aut pulsus a sede sua aut necessitate coactus, aut electione et exhortatione sacerdotum et populorum, translatus est ad alteram civitatem. Nam sicut episcopi habent potestatem ordinare regulariter episcopos et reliquos sacerdotes¹³, sic quoties utilitas aut necessitas coegerit¹⁴, supradicto modo et mutare et inthronizare potestatem habent. Hæc ut petiuntis, licet vobis incognita¹⁵ non sint, tenenda mandamus, ne ignorantia quorumdam, meliora et utiliora vitentur, et inutiliora sumantur, sicut in sancto legitur Evangelio: *Væ vobis, hypocritæ, quia decimatis mentham, et anethum, et cuminum, et reliquistis quæ graviora sunt*

⁶ 7. q. 1: Mutationes episcoporum. Et in decr. Iyon. lib. III. ⁷ ignotus viris doctis. ⁸ in. ⁹ ignotus iisdem. ¹⁰ apostol. can. 14. ¹¹ Psalm. xcix, 11. episcoporum. ¹² exposcerit; ita et Luc. ¹³ ignota, ita in Luc. ¹⁴ Matth. xxii, 23, 24. ¹⁵ II Tim. iii. ¹⁶ Ennodius in Apol. pro Symmacho papa. ¹⁷ Osee vi, 6. ¹⁸ idem ms. desunt quæ ansulis clausa. ¹⁹ II Tim. iii, 5. ²⁰ sacrificium. ²¹ Job. xxix, 15. ²² in loco supra citato. ²³ 7. q. 1: Mutationes episcoporum.

diaconi de ecclesia in qua ordinati sunt, in aliam transferantur, nisi necessitas vel evidens Ecclesiæ utilitas illud requirat. Nam ut alicui sedi ab haereticis pessumdatae, insignis aliquis alterius Ecclesiæ episcopus præficiatur, id non modo non sancta synodus prohibuit, sed e contra potius id faciendum esse exemplo edocuit, cum Eusebio Nicomediensi et Theognide Nicæno episcopis Arianis insignioribus depositis, in sedem ipsorum aliarum medium antistites suffecerunt. Et quia Eusebii Nicomediensis hominis inquieti et ambitiosi (qui post duas sedes mutatas Constantinopolim se transferri curavit) exemplo, frequenter ab Arianis siebat, ut qui humanæ gloriæ libidine incitati, muneribus ad maiores sedes provehi laborarent, iis episcopis qui majoribus civitatibus præerant, negotium facerent; ideo Patres sacrosanti œcumени concilii

A legis, judicium, et misericordiam et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere. Duces cœci, excolantes cœticem, camelum autem glutientes¹⁶. Quod licet non licet¹⁷; et quod non licet, licet¹⁸. Quemadmodum Jannes et Mambres restiterunt veritati, sic et illi, mente reprobi, amantes voluptatem magis quam Deum, quod licet, docent non licere, id est, episcopos migrare de civitate ad civitatem, prætaxato modo; quod non licet, docent licere, id est, misericordiam non agere circa patientes necessitatem, hoc est, eis qui episcopum non habent, et sacro episcopali indigent ministerio, episcopum de alia civitate causa utilitatis vel necessitatis tribui: et episcopis persecutionem aut necessitatem patientibus, aliam cathedram dari negant. Contradicunt etiam sacræ Scripturæ¹⁹, quæ testatur malle Deum misericordiam quam judicium²⁰.

(Quæ, precor, major charitas, aut quod efficacius pietatis patrocinium potest a quoquam alicui impendi, quam si ignorantiae tenebras et imperitiae caliginem ab eo repellat, ac demum veræ fidei doctrinæ pabulo, non ad quæstum, non ad ambitum, sed ad eruditionem et ædificationem reficiat? Tanquam enim mutilo sit manus, *claudio pes, occlusus cæco*²¹, qui ignorantiae tenebris obvoluto, sapientiae et scientiae thesaurum reserat, et candorem lucis viasque Domini benigniter aperit²².)

Utrisque autem, id est et famem verbi Dei patientibus, et episcopis necessitatem, quando inthronizantur propter communem utilitatem in aliis civitatibus, non modica exhibetur misericordia. Ne-

C gantes autem hæc, licet speciem habeant pietatis, virtutem tamen ejus abnegant²³. Nam in tali negotio prosapiam²⁴ non agnosco²⁵; si quis tamen sapientium, quos insipientibus tempestatis hujus procella aliis sociavit auctoribus, facinorum participatione maculatur, splendor sapientis, etsi communionem criminum incurrit, nescit tamen ducem se præbere peccantibus. Alia quoque est causa utilitatis et necessitatis, et alia avaritiæ et præsumptionis, aut propriæ voluntatis. Avaritiæ quoque causa²⁶, vel præsumptionis, aut propriæ voluntatis, non sunt epi-

²³ χρέσαι πολλῶν ἐπιστεύων. ²⁴ 7. q. 1: Mutationes prospiciam²⁵ non agnosco²⁶; si quis tamen sapientium, quos insipientibus tempestatis hujus procella aliis sociavit auctoribus, facinorum participatione maculatur, splendor sapientis, etsi communionem criminum incurrit, nescit tamen ducem se præbere peccantibus. ²⁷ Matth. xxii, 23, 24. ²⁸ II Tim. iii. ²⁹ Osee vi, 6. ³⁰ sacrificium. ³¹ Job. xxix, 15. ³² in propria prosapiem. ³³ idem Ennodius

D Sardicensis decreverunt, ut tales deinceps, non tantum inter episcopos non numerarentur, sed ab omni penitus ordinis ecclesiastici gradu dejecti, inter laicos commorarentur, imo ne laica quidem communione in fine vitæ impartirentur. Baron ann. Christi 324, num. 155; anno 325, num. 153; item anno 347, num. 46. Sev. B.N.

(6) *Eusebius quoque*. Hic est ille Eusebius Alexandrinus episcopus, qui scripsit 18 sermones nuper in vetustissimo libro bibliothecæ Cryptæ ferratae, ut testatur Turrianus cap. 42, libro II, inventos, in quorum uno quem de Ascensione Domini scripsit, usus est verbo *Homousii*, quod sanctus Athanasius in epist. ad Africanos ait non fuisse in synodo Nicæna inventum, sed prius fuisse etiam ab episcopis Alexandriæ usurpatum, ad asserendam contra haereticos consubstantialitatem Filii Dei.

scopi mutandi de civitate ad civitatem, sed utilitatis et necessitatis. Quod nemo negat, nisi hi de quibus dictum est : Erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium²⁷. Nam si enarrando cogerer aperire transacta²⁸, ostenderem vobis nullum evenire solatum de comparatione factorum. Cæterum state, charissimi, super vias, aspicientes et interrogantes de semitis Domini antiquis²⁹, et videte quæ est via bona et recta, et ambulate in ea, et invenietis requiem animabus vestris³⁰. Et ut juxta Sapientiæ vocem dicamus : Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis querite illum; quoniam invenerit ab his qui non tentant illum; appareat autem eis qui fidem habent in illum. Perversæ enim cogitationes separant a Deo, probata autem virtus corripit insipientes. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet factum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniustitate. Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non libabit maledictum³¹ a labiis suis; quoniam renum illius testis est Deus, et cordis ejus scrutator est verus, et linguae illius auditor. Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc, qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit. Sermonum autem illius auditio ad Dominum veniet, et ad correptionem iniuitatum illius; quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest; et a detractione parcite linguae; quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit. Os quod mentitur, occidit animam. Nolite zelare mortem in errorè vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestiarum; quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim, ut essent, omnia, et sanabiles esse voluit nationes orbis terrarum. Non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra viventium. Justitia perpetua est et immortalis; injustitia autem mortis est acquisitio. Impii autem manibus et verbis accersierunt illam; et aestimantes eam amicam defluxerunt, et sponsiones posuerunt ad illam; quoniam morte digni sunt, qui sunt ex parte illius³². Dixerunt enim, apud se cogitantes non recte : Exiguum est, et cum tædio, tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis. Quoniam ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tanquam non fuerimus. Quoniam sumus affla-

Atus³³ est in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum; qua extincta, cinis erit corpus nostrum, et spiritus effundetur, tanquam molles aer. Et transbit vita nostra tanquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est a radiis solis, et a calore illius aggravata. Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri, quoniam consignata est, et nemo revertetur³⁴. Propterea unicuique prævidendum est, ut summopere se custodiat, et utiliter se prævideat, ut cum dies extrema finisque vitæ advenerit, non transeat ad perpetuam mortem, sed ad vitam æternam. Facta enim subditorum judicantur a nobis³⁵, B nostra vero judicat Deus. Ex merito vero plebis nonnunquam episcopi depravantur³⁶, quatenus proclivius cadant qui sequuntur. Capite languescente, cætera corporis membra inficiuntur. Deteriores sunt, qui vitam moresque bonorum corruptunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Caveat unusquisque ne aut linguam, aut aures habeat pruriens³⁷, id est ne aut ipse aliis detrahatur, aut alios audiat detrahentes. Sedens, inquit, adversus fratrem tuum loquebaris, detrahendo, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum³⁸, etc. Parcant singuli detractioni linguae, custodiante sermones suos; et sciant, quia cuncta quæ de aliis loquuntur, sua sententia judicabuntur. Nemo invito auditori libenter refert. Officii singulorum sit, dilectissimi, non solum oculos castos servare, sed et linguam. Nec quid in cujusquam domo agatur, alia domus per vos unquam noverit. Habeant omnes simplicitatem columbæ³⁹, ne cuiquam machinentur dolos; et serpentis astutiam, ne aliorum supplantentur insidiis. Non est humilitatis meæ, neque mensuræ, judicare de cæteris, et de ministris Ecclesiarum sinistrum quidpiam dicere. Absit, ut quidquam sinistrum de his loquar⁴⁰, qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore consciunt, per quos nos etiam Christiani sumus, qui claves regni cœlorum habentes, ante judicii diem judicant. Veteri quidem lege habetur⁴¹, quiunque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo; aut gladio cervice subjecta, contemptum expiabat cruento. Nunc vero inobediens spirituali animadversione truncatur, et ejectus ab Ecclesia, rabido dæmonum ore discerpitur⁴². Oportet enim ut qui Deum hereditate possident⁴³, absque ullo impedimento sæculi Deo serviant, ut dicere possint : Dominus pars hereditatis meæ⁴⁴. O quam bonus et suavis est Spiritus tuus, Domine, in omnibus⁴⁵! Par-

²⁷ Isa: xxviii, 7. ²⁸ idem Ennodius mox laudatus. ²⁹ synodica Martini I. ³⁰ Jer. vi, 16. ³¹ maleficum. ³² Sap. i. ³³ ac flatus. ³⁴ Sap. ii, 4-5. ³⁵ 9. q. 3. Facta subditorum. ³⁶ Isid. iii, sent. 38, 42. ³⁷ S. Hier. ep. 2 ad Nepotianum. ³⁸ Psalm. xlix, 20. ³⁹ idem Hier. ep. 43, tum ep. 4, necnon 1 ad Heliodorum. Unde arguitur Mercatoris mangoninum putidissimum. ⁴⁰ 41. q. 3. Absit ut quicquam. ⁴¹ Deuter. xvii. ⁴² Hactenus Hier. Antero multis annis posterior. ⁴³ Isid. ii Off. 1. ⁴⁴ Psal. xv, 5. ⁴⁵ Sap. xii, 1

²⁹ synodica Martini I. ³⁰ Jer. vi, 16. ³¹ maleficum. ³² 9. q. 3. Facta subditorum. ³³ Isid. iii, sent. 38, 42. ³⁴ idem Hier. ep. 2 ad Nepotianum. ³⁵ Psalm. xlix, 20. ³⁶ idem Hier. ep. 43, tum ep. 4, necnon 1 ad Heliodorum. Unde arguitur Mercatoris mangoninum putidissimum. ³⁷ 41. q. 3. Absit ut quicquam. ³⁸ Hactenus Hier. Antero multis annis posterior. ³⁹ Isid. ii Off. 1.

eis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui animas amas. Ideoque hos, qui exerrant partibus, corripis; de quibus peccant, admones et altoqueris, ut reicta malitia, credant in te, Domine⁴⁶. Tu autem, Deus noster, suavis et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia. Etenim, si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam. Et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati⁴⁷. Spiritus timentium Dominum queretur ab eo, et in respectu illius benedicentur⁴⁸. Quapropter, fratres charissimi, omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus est ad aedificationem opportunitatis, ut det gratiam audientibus, et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis avaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia⁴⁹. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem et omnis immunditia aut avaritia non nominetur in vobis, sicut et decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote, intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servius, non habet hereditatem in regno Christi et Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis. Propter hæc enim venit ira Dei in filios disidentiae. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate (fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate), probantes quid sit beneplacitum Deo. Et nolite communi-care operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere. Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifestantur. Omne enim quod manifestatur, lumen est. Propter quod dicit: Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Videite itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non

A quasi insipientes, sed ut sapientes; redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed impleamini Spiritu sancto, loquentes vobis metipsis in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo et Patri, subjecti invicem in timore Christi⁵⁰. State itaque, fratres, et tenete traditiones apostolorum et apostolicæ sedis, ut Dominus noster Jesus Christus, et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et in sermone bono⁵¹. De cetero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Domini currat et clarificetur, sicut et apud vos, et ut liberemur ab importunis et malis hominibus; non enim omnium est fides. Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo⁵². Quapropter⁵³ ponite indesinenter corda vestra in virtute Dei, et resistite semper malis, et enarrate hæc, juxta vocem Prophetæ, in progenies alteras, quoniam hic est Deus Deus noster in æternum, et ipse reget nos in sæcula⁵⁴. Unde vos, qui in specula a Domino estis constituti, compri-mere et repellere eos summopere debetis, qui fratribus insidias præparant, aut in eos seditiones et scandala excitant. Facile est enim hominem verbo fallere⁵⁵, sed non Dominum. Ideo vos reprehendere, et ab his vos averttere oportet, quatenus, existincta funditus hujusmodi caligine⁵⁶, Lucifer eis resplendeat, et lætitia oriatur in cordibus eorum. Confidimus autem de vobis, fratres, in Domino, quoniam quæ præcepimus, et facitis, et facietis⁵⁷. Quanto enim beneficia vestra his amplius exhibetis, tanto majorem vicissitudinem ab omnipotenti Deo⁵⁸, cui serviunt⁵⁹, exspectatis. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat⁶⁰, honoremque et præceptum servare concedat, et gloria honorque Deo Patri omnipotenti, ejusque unigenito Filio Salvatori nostro, cum Spiritu sancto sit in sæcula sæculorum. Amen. Data⁶¹ XII Kal. Aprilis Maximiano et Africano viris clarissimis consulibus.

⁴⁶ Sap. XII, 2. ⁴⁷ Sap. XV, 1, 2. ⁴⁸ Eccli. XXXIV, 14. ⁴⁹ Ephes. IV, 29-51. ⁵⁰ Ephes. V, 1-21. ⁵¹ II Thess. II, 14, 15, 16. ⁵² II Thess. III, 1, 2, 3. ⁵³ Gelasius ep. 9. ⁵⁴ Psal. XLVII, 14, 15. ⁵⁵ Sixti sent. 176. ⁵⁶ Steph. Dorensis in libello oblato an. 649, in synod. Rom. cons. 2. ⁵⁷ II Thess. III, 4. ⁵⁸ S. Greg. ep. 52, lib. IX. ⁵⁹ servitis. ⁶⁰ Greg. ep. 50, lib. IV. ⁶¹ ex ms. Justelli.